

HERMANNVS CRVSERIVS MEDICVS ET IVRE-  
*consultus.*



**H**ermannus Campis apud Belgas honesto loco natus & educatus fuit. Is a teneris annis linguarum & artium studio operam dedit, atque in ijs plurimū profecit. Inde Medicinæ incubuit, & in ea facultate præclarum nomen meruit. Coniunxit etiam Legum studia, & fœlicitate ingenij fretus, magnus quoque inter Iureconsultos euasit. Itaque Vuilhelmus Iuliacensis dux eius opera multoties usus, eum ad regem Galliae Legatum misit, atque res magnas expedire iussit. Quæ quidem Hermannus magna dexteritate perfecit. Inde quoque animum ad scribendum appulit, & aliquot Galeni libros latinitate donauit, nempe de differentijs pulsuum lib. 4. de dignoscendis pulsibus lib. 4. de causis pulsuum lib. 4. de præfigijs ex pulsibus lib. 4. Præterea commentaria in libros Hippocratis de morbis vulgaribus, & in librum de salubri diæta. Quin etiam Plutarchi Vitas de nouo transtulit, atque hoc modo magnum sibi nomen apud doctos comparauit. Is etiamnum ducis consiliarius existens Campis habitat, et in studijs ac reipublice negotijs se se cum laude exercet.

Con. Gell. Anon.